HISTORIA BARBARICA,

SIVE

Irruptiones Barbarorum in Germaniam, Galliam & Italiam, Atila Duce.

Excellentiſsimo ac Illuſtriſsimo Domino,

DNO JOANNI HARTVIGIO,

Sac: Rom: Imp: COMITI de Noſtitz, Domino Hæreditario in Falckenau, Dño in Heinrichſgrün Tſchocha, Litmitz, Packmerſchitz, Sahr, & utrumq; Dürmitz, Sacræ Cæſareæ, nec non per Hungariam & Bohemiam Regiæ Majeſt: Actuali Intimo Conſiliario, Camerario, & Supremo Regni Bohemiæ CANCELLARIO, &c.

Patrono Colendiſſimo, dicata

A

Laurentio Joanne Rudawski, Eccleſiarum Cathedralium Olomuc: & Varmieñſis Canonico.

OLOMUCII, Ex Typographia Viti Henrici Ettelij.

EPISTOLA DEDICATORIA AD EUNDEM.

TRistes ac miseros aliquando Europæ Populos, Excellentiæ Tuæ *sisto, Magne & Inclyte* COMES. *Horret calamus iterùm sangvine fluere, dùm tot cladium argumentũ repetit. O tempora deflenda magis, quàm narranda, nisi ad exemplum rerum futurarum faceret, conversi ac convulsi aliquando Orbis imaginem intueri. Feroces ac barbari fuerunt illi, qui è Scythia olim profecti, immanitate suâ terruerunt Mundum, prompti nunc eundem occupare, nisi in tempore conspirent Christiani, accurrant Principes, pugnent sine discrimine omnes. Quicquid Asia, & ipsa Græcia olim timuit, nunc occupata in nos effundit. Auditur funestum Barbari Classicum, quo reliquæ Europæ, ac nobis omnibus & singulis exterminium minatur, & nos interim, serò eheu! serò nimis in bellum consultamus! quasi Æthiopes*

inter se belligerarent aut Novi Indi: cùm tamen in visceribus nostris hæreat hic Tyrannus divitijs immensus, Religione hostis, non minùs sævus si vincat, quàm potens si vincere velit. Paratus nunc florentem subjugare Germaniam, mox singulos per partes aggrediens, truncare Italiam, quassare Galliam, affligere Hispaniam, decipere Poloniam, pessundare Daniam, Sveciam, & Angliam: nisi hæc omnia Regna invicem juncta nunc tandem serò licet nimis sapiant, ac sibi consulant, aliàs ridente Tyranno ad nostrorum discordias; brevi, brevi plorabit Italia, ululabit Gallia, peribit Germania cum vicina Polonia! Et tunc tempus erit, quale non fuit antea. Vale Excellentissime COMES, *ac mihi umbratico fave homini Tuo Clienti, qui est, & donec vita suppetet erit.*

Excellentiæ Tuæ

Servus humillimus

Laurentius Joannes Rudawski,
Eccl: Cathedr: Olomuc: Canon.

HISTORIA BARBARICA,

SIVE

De Irruptionibus Barbarorum in Germaniam, Galliam, & Italiam, Atila Duce.

POstquam è fastigio suo declinare Romani Majestas nominis cœpit, nonnisi strage & ruinâ ad exitium præceps provoluta est Europa Nostra. Etenim Anno Christi Quadringētisimo Nono, Atila Mundizici Filius, Magni Nembrothi Nepos, Engadiæ natus, Rex Hunnorum, Medorum, Gotthorū, & Davorum, Metus Orbis, Deiq; flagellum, Quingentis Armatorum Millibus congregatis, Arderico, Valemiro, Theodemiro, Vindemiroq; Ostrogottis Principibus comilitonibus; Marcomannis, Svevis, Quadis, Erulis & Thuringis subjugatis priùs Populis, mox

lis, mox Germaniam tanto furore aggreſſus eſt, ut à Danubio ad Rhenum, à Rheno ad Rhodanum ante pervenerit, quàm venire nuntiaretur: more fulminis, quod ſimul ac percutit, abit. Primum hujus Ducis furorem excepit Conſtantia Civitas tunc Germaniæ munitiſſima, quam vix obſeſſam expugnavit Tyrannus, Sigiſmundo ejus tunc Regionis Principe, non ſine magna ſuorum ſtrage fuſo fugatoq́;. Conſtantiam mox Baſileæ expugnatio ſubſecuta eſt. Ac tandem Argentina urbium ejus temporis fortiſſima, Regni Arelatenſis Caput, crudeli Duci in ſpolium ceſſit ſuperbum; acri illa obſidione circumventa, etſi nullo munitionis genere careret, ita diu noctuq́; admotis undiq; machinis quaſſata fuit, ut tandem ſuccumberet. Quam direptam, dirutis mœnibus, barbaro nomine Polyodopolim edixit appellari, indictâ capitali mulctâ in victoriæ ſuæ monumentũ, ne quâ ex parte quaſſa mœnia reſarcirentur. Eo modo hoſtili ferro Urbs Argentina Regni Arelatenſis caput tunc perierat. In Rhemenſes caſtra deinde moverat Atila, quos tantâ vi aggreſſus fuerat, ut non ante ceſſaverit pugnare, quàm vicerit pulcherrimã Urbem; tantâ in Oppidanos comiſsâ cæde, ut nulli ferè evaſerint, nulla templorũ, nulla ætatis, nullâ ſexûs habita ratio: religio & pietas cum humanitate videbatur extincta. Nicaſius ejus Urbis Pontifex cum Eu-

tropia

tropia germana Sorore, hostili ferro ambo sanctissimi Martyres cecidere. Inde Lugdunum ventum est, ubi Araris Rhodano sociatur, quæ etiam Civitas pari Hunnorum ferociâ oppugnata, direpta tandem est. Mox Rhodanum festinatis itineribus transiens impius Dux, Viennenses, Valentinianos, Avenionensesque, ac cæteros Rhodani accolas diripuit & excidit, non sine Orbis admiratione ac repentino timore, tantæ enim cladis vix nuntius evasit. Tunc primùm vires & arma in hostem totâ Europâ decem Occidentis regnantes moverunt Reges. Advolaverat & Eccius summus belli Dux, cum flore juventutis Italicæ; Aderat Gotthorũ Rex Theodoricus, Militum Trecenta & Viginti Millia: quæ ubi in Catalaunicis sub Tolosa convenerant campis, mox Deo ac prælio rem dirimentibus, Victores evaserunt, desiderato nihilominus Theodorico in loco pugnæ, Gotthorum Rege, hoste Atilæ atrocissimo, quem universus exercitus pro debito luxit. Cæsa tunc ab utrinq; Centum Sexaginta Quinque Millia, Historici, prodidêre. Et certè nobilis tunc de Barbaro hoste relata fuisset victoria, si Eccius qui vincere sciverat, victoriâ uti scivisset. Sed ille dimisso Exercitu, auxiliaribusq; copijs paulò post dilabentibus, Atilæ victo præbuit occasioné, universam Galliam, Regnorum ut sic dicam Regnum, cædibus, incendio, & ra-

pinis

pinis affligendi, ac mox pulcherrimam evertendi Italiam, ad quam diu anhelaverat Barbarus. Domitis etenim Romanorum viribus, facilè totius Orbis Terrarum Imperio potiturum se sperabat. Hinc ex Gallia traducto prius in Pannoniam Exercitu, ibidemq; pro tempore aucto, per Dalmatiam ac Illyricum Italiam ingressus eandē occupat, Salonâ urbe tunc fortissimâ, Populi Romani nobilissimâ quondā Coloniâ penitus eversâ; Cujus oppugnationem æternâ memoriâ dignam, genuinis hîc adnecto verbis, quam Antonius Bonfinus Rerum Hungaricarum fidelissimus Scriptor, Decadis 1. Lib: 6. ita describit. *Nondum ex Urbe Corona pedem moverat Atila, cùm Salonam nobilissimā Populi Romani Coloniam, graui obsidione imperat obduci, cujus vestigia ea supersunt, ut quanti momenti Urbs illa fuerit, haud difficulter ostendant. Vix tribus millibus passuum à mari remota, in planitie sita, interfluente flumine dividebatur, opulenta nimis & fœcunda, quando Dalmatarū celeberrimum semper hæc fuit Emporium. Munitam Urbem forti animo Hunni aggrediuntur, varia mænibus tormenta admovent, turres ac vineas pars adhibent. Multi allatis scalis circumveniunt, arietibus plerique mænia quatere, portis alij admovere testudines, cæteri muros diversis artibus oppugnare. Contrà*

Oppi-

Oppidani instare fortius, dicere nullam deditionem sperari oportere, se à Romanis oriundos, adversus Barbaros, Romanâ virtute certaturos, adhæc satis cōmeatuum habere, neque inediâ, neque siti defuturos. Contrà his verbis Atila irritari, ut aut ibi totum exercitum perdere, aut Vrbe potiri statuerat. Quare tertio die iterùm pugnæ signum dat, fossam cōpleri jubet, aggerem quoq; proteri, ut sine impedimēto mænia cuiq; adire liceat, mox turres, arietes, cæterasq; machinas propiùs admoveri, ad urbis portas sigillatim castella erigi, quibus oppidanos à mænibus repellant, quæ ad octavam usq; contignationem extulerat. Quæ omnia ubi facta sunt, vrbem undiq; invadunt, pars mænia conscendunt, reijciunturq; instantiùs ab oppidanis; pars adactâ testudine muros suffodiunt, admotis multi machinis mænia quassa diruunt, aditumq; vrbi patefaciunt; alij sese ingerere student, in mænibusq; cæduntur. Contrà Oppidani resistere fortius, & obstinatius in ruinis vrbis cadere, alij reclinato hoste, fimo & egestâ terrâ obstruere aditus, obijcere vasa vinaria completa saxis. Vbiq; clades miserrima oritur, vtrinq; cadunt homines, hinc multi à mænibus deturbati, aut saxorum ruinâ collisi, illinc supra mænia sagittis jaculisq; confossi, quin & multi vrbem ingressi continuò obtruncati sunt. Nam in media vrbe præsi-

dium collocârant, unde laborantibus dato signo, è vestigio succurrebant. Item mulieres saxa, conflatam picem, ac sulphur cum aqua ferventissima circumferre, adjuvare viros, præterea hortari, ut pro Patria ac liberis, pro Aris & focis obnixius dimicēt: nil pluris æstiment, quàm pro Patria mori. Præterea illæ plerumq; virorum supplementum esse, & in demortuorū loco se ultrò sufficere, pars earum securi, nōnullæ saxis deturbare subeuntes. Harum operâ subsidioq; Oppidani ita confirmati sunt, ut hostem undiq; dejecerint. Atila militem ab oppugnatione revocat, ne suorum stragem augeat. In quo prælio Hunnorum duo circiter millia desiderata, ex Urbanis vix cecidere centū. Multi utrinq; saucij, cives curatis aliquantisper corporibus, vigilias ubique disponunt, stationem quisque suam repetit, diruta mœnia aggere alto resarciunt alij. Alij ut tutius Urbem protegant, interiore fossâ valloque Urbem circumveniunt, crassoq; intus aggere muniunt, ut si fortè mœnia deseruerint, intrò sese referāt. Quibus certum erat, aut obstinatissimè Patriam tueri, aut si quâ fati iniquitate cogantur, cruentissimam hosti victoriam relinquere. Atila reficiendi ac recreandi spatium Oppidanis, sibi calamitosissimū fore ratus, quandoquidē hinc victoriam differri, ac suorum cædem augeri intelligebat, consilium init, assiduâ vr-

bem op-

bem oppugnatione sollicitare, & modò eludere, modò acrius infestare decernit, ut negatâ quiete laboribus pariter & vigilijs conficiantur. Quin etiam pro virili parte, sumendi cibi spatium abnegare studet, quod præ nimia gentium multitudine facilè poterat, quare in sequenti die perpetuũ Urbi prælium indicit. Clàm Præfectos cohortiũ admonet, ut datis vicibus prælium ineant, die oppidanos eludant ne respirẽt, noctu verò gravius adurgeant. E compositò pugnam ineunt, à principio, quacunque possunt arte, vehementer infèstant, post quintam horam alij succedunt, pugnam redintegrant, pari arte ad vesperum usque dimicant. Ingruente nocte alij continuãt, acerrimè oppugnant, per tenebras eludebantur ictus, & quandoq; ex insperato inferebantur. Sub media nocte prælium instauratur, ingenti utrinque clamore pugna conseritur. Oppidani saxa trabesq; devolvunt, cùm pinnis murorum hostes appropinquare cœperint, alios securibus è muro deturbant, strages instauratur. Oppidani continuâ pugnâ, inediâ defessi, aliqui cedere cœperãt. Contrà isti mænia conscendere, quod ubi in tribus quatuorvè locis factum fuit, cessere sensim illi, & intra secundã munitionem se recipiunt. Contrà illi à tergo instare, & dùm eos prosequi student, in cæcã fossam cadere, unde se redimere non facilè poterant. Innumerabilis multitu-

titudo interiorem fossam compleverat, quam oppidani saxis telisq; confodere aggrediuntur, quod ubi à succedentibus intellectum est, ad lucem usq; è muris pugnatum, quando isti spe potiundæ vrbis perciti acrius instare, contrà illi desperatâ salute obstinatius resistere. Illucescente die Rex mœnia conscēdit, quod ubi ab universo spectatum est Exercitu, innumera undiq; multitudo confluxit, cujus agmine non modò completa fossa, sed æquatus agger, alius super alium vrbem ingredi contendit. His igitur agminibus obruta Civitas, utriusque sexûs cæde completur, passim diripitur, & nobilia Civium Romanorum ædificia diruuntur, neq; templis quicquam concessum & aris. Civium fortunæ aut præda abactæ, aut igni sunt absumptæ. Decuriones omnes, ex edicto ante conspectum Atilæ in foro cæsi. Nemo ex Vrbe vitâ donatus est. Non in Salonenses, sed in Romanos ibi tunc sævire Atila videbatur. Eoq; magis exultabat Hunnus, quô superbiora Romanæ gentis ædificia subverteret.

Ita tunc solo æquata est Salona, cujus nunc vix rudera extant, aut campi tantùm ubi Salona fuit. Salonæ excidio territæ reliquæ Italiæ Civitates, passìm Victorem Atilam admittebant, ab illo vicissìm militibus in prædã datæ, donec ad Aquileiam ventum esset, quam Urbem triennio obsessam, Ciconiarum

infe-

infelici augurio ex Civitate certatim migrantium, tandem expugnaverat ac deleverat Barbarus. Eversâ Aquileiâ, ita omnium Italorum animi consternati fuêre, ut pro mænibus hostem instare reputarent; Hinc cùm Aquileiense excidium pleno Senatu relatum esset, omnes usque adeò exanimavit, ut vitâ defunctis invideretur, qui ex his malis Divinâ commiseratione, prærepti videbantur. Silentium deinde cum gemitu singultuq; aliquandiu celebratum, donec Valentinianus Imperator, dissimulato parùm metu, ne cæterorum, exemplo suo, animos consternaret, rogare singulorum sententias cœpit. Pauci censuêre, quando nemo præ dolore verbum proferre poterat. Tandem è Senatusconsulto statuitur, ante omnia Deo Optimo Maximo supplicationes fierent, delectus militum per Italiam ac Germaniam summâ celeritate haberetur, ingensq; totâ Europâ conscriberetur Exercitus, sed tardè hæc omnia consulebant. Etenim Atila eversâ Paduâ, occupatâ Ferrariâ, Vicentiâ, Veronâ, Pergamo, Como, Brixiâ, Mediolano, ac Papiâ, etiam pulcherrimæ urbium Urbi funestum excidium parabat, nisi Leo Sanctiss: Pontifex, à Cæsare Valentiniano, totoq; Senatu Romano exoratus, ad Atilam legationem magno animo suscepisset, eumque à diripienda Divini Imperii Sede avertisset, constans etenim Historicorum fides

est,

eſt, peroranti tunc Leoni Pontifici adſtitiſſe duos ſenes, qui demiſsâ barbâ, ac venerando horribilique vultu, niſi legato paruiſſet, præſentẽ infeſtis gladijs mortem Atilæ minabantur. Petrum & Paulum ſuo tunc Vicario præſtò adfuiſſe creditum eſt, Leo impetratâ totiûs Italiæ ſalute, immortales DEO gratias egit, Romamq; reverſus publicam Eccleſiæ liberationem retulit. Paulò etiam poſt Atila redux ex Italia, dùm in Pannonia triumphat, de ſubjugata, incenſa, ac direpta Europa, ac novos iterùm in Aſia & Africa ſomniat triumphos, moritur; ſed non in tempore, tardè enim ſubſecutus eſt miſeros illos, quos ante ſe præmiſerat. Referam hîc pro coronide geſtorum Atilæ, Mediolani deditionem ac direptionẽ, haud indignam, quam poſteritas relegat, ac barbaris tandem aliqnãdo in fine mundi, fidere dediſcat. Poſtero die ad Atilam Legatos Mediolanẽſes mittunt, qui Senatûs Populique auctoritate deditionem, ut clementiorem hoſtem inveniat, his genuinis honorificentiſſimis verbis faciunt.

Quam poſtulaſti Urbem, obſequiumque noſtrum, Rex Atila, ecce ſpontè deferimus, quando te ampliſſimum terrarum dominatorem, & terrorem gentium, divino Numine creatum intelleximus. Repugnantia cuncta proteris ſuperbos deprimis, & difficillima quæque ſuperas. Cedunt Atilæ omnia, & eò redacti ſunt potentatus humani, ut beatus hac tempeſtate is dici queat, qui à tanto hoſte ad faciendam deditionem exhortetur. Si tibi omnia jubente

bente fato cedunt, cedunt quoque Mediolanenses, & spontè se dedunt. Quod non modò necessitate imperante, sed impellente studio faciunt, ne destinatam è Cœlo tibi gloriam remorentur, nevè justum mox exitium subeant, pertinaciæq; debitas pœnas expendant. Extremæ namque temeritatis & stultitiæ est, Divino nutui reluctari, factaq; intercipere, & præsertim tua, quæ vel inconsideratissimo cuique nota esse debent. Illyricum, Mysias, Thraciam, Macedoniam, & Achaiam diripuisti, Rhætos & Noricos spoliasti. Germaniam cum universa Gallia, igni ferroq; vastasti, munitissimas Adriatici maris Vrbes evertisti. Istria, Venetia, & universa ferè Transpadana Gallia populata, fumat adhuc. Cæteri Itali præ tanta trepidatione, cæterorum exemplo deterriti, de relinquenda Italia decrevissent, nisi supero inferoq; mari, ac montium circumspectu occluderentur. Proinde ne victoriæ tuæ deesse videamur, Senatûs Populiq; Mediolanensis nomine, Vrbem, homines, & fortunas vltrò dedimus. Et admodum erubescimus, quòd veluti Dominus pientissimus jam futurus, Nos officio prævenisti, & uti amicos, ne sæveritatem tuam experiremur, monuisti, ut deditionem continuò faceremus. Quare gratias Majestati tuæ semper habebimus, supplicantes quanto possumus affectu, quando de voluntate tua non veremur, ut edicto, milites cædibus, rapinis, cæteraque vi inhibeantur, focis & aris parçant, inviolatamq; matronarum ac virginum pudicitiam servent. Quòd si Majestatem tuam exorabimus, nunquam officio meritisq; vincemur. Non modò præsentis, verùm etiam absentis tui imperium, summo studio viribusq; tuebimur, & in utraque fortuna tam gratum tibi semper obsequium præstabimus, ut pro peculiaribus socijs nos habendos esse censueris. Neque plus fidei in Hunnis, quàm in Mediolansibus planè reperies. Ne Majestatem quidem tuam dedecebit, Mediolani Regiam statuere, quam fœcundissimã omnium officinam, omnes jure nuncuparint. Atque fidem nostram expertus, non minus hanc, quàm Sicambriam amabis, & excolendam esse reputabis. Quamobrem Vrbem tibi deditissimam, Majestati tuæ

non in-

non indecoram futuram, cùm optimis auspicijs exoptatus adi. Accipe bono animo Cisalpinæ Galliæ Regnum, Metropolimque dextro pede ingredere, non plus Divino, quàm nostro judicio nunc oblatam. Quam ut tanquam Regiam Patriamque sedem tractes, quando in tua manu omnia collocamus, iterùm iterùmque devotissimè supplicamus.

Perorantibus Legatis, diversus Atila trahebatur, utrum potius faceret, an svavissimis verbis placatus, cũ Civibus benigniùs ageret, an verba daret, Urbem mox aditam populaturus. Quum rerum opulentia, ab omni Regem humanitate diverteret, perfidia pudorem suscitabat, studiosa liberaq; deditio ab omni fraude vindicare conabatur. Tandem dùm pudori ac utilitati suæ consulit, libenti animo hilariq; vultu deditionẽ factam se accipere ostendit, Civitatem cum fortunis incolumem præstiturũ pollicetur, nil præter jus Imperij à Mediolansibus unquam petiturum. Expeditionem suam imperandi & non populandi gratiâ fieri, seq; gloriæ, & nõ prædæ causâ militare significat, quorum alterum latronis, imperatoris contrà gloriosi esset alterum. Rapinas, cædes, & incendia in obstinatos & rebelles, jure quandoq; permitti. Proinde omnes bono animo esse jubet, spe simul & promissis onerat, indulgentissimum se eorum dominum futurum asseverans. Legati cum lætitia dimittũtur, omnia Urbi tuta ac integra fore nuntiãt. In sequenti die portas aperiũt, grato Hunnos animo excepturi. Princeps singulari pompâ ingreditur,

Urbem,

Urbem, exercitus longiſſimo agmine per Urbem trāſijt, in caſtris noctem ex edicto acturus, ne qua primo impetu vis cuipiam inferretur. Centuriones tantùm & præfecti cum veteranis, & cohortib9 Prætorianis, pro tutela Principis in Urbe permiſſi, totus ille dies in pompa & triumpho actus eſt. Poſtero verò cum Decurionib9 Atila Urbem luſtrat, pulchritudinē ac ædificia admiratur. Templum Jovis longâ religione celeberrimū perreverenter adit, ibiq; Jovi, Martique ritè litavit, omnia artium genera circumſpectat, & obſtupeſcit, atque ex his facultatum magnitudinē conicit. Reverſus in Arcem, avaritiâ nimiâ æſtuare cœpit, ſecū recogitans, non ad exornandam, ſed delendam Italiam veniſſe, imperium ſibi in Pannonia ſtatuiſſe, hac tantùm Urbe totum Exercitum ditari poſſe; imò Mediolanenſium vires illi formidoloſæ videbantur. Quare dùm ſe in ſequenti die exercitum recenſere velle diſſimulat, clàm per Præfectos legionum, & qui in Urbe pernoctaverāt agit, ut diſpoſitis per Urbem ſtationibus futurâ nocte incendia moliantur, Cives invadāt, & omnia populentur. Quod ubi fieri cœptū eſt, acerrimè quoq; totâ nocte pugnatum eſt, primores Urbis ſuis quiſq; præſidijs ſeſe tuëbantur. Aſt ubi dies illuxit, poſtquam plebeij paſsìm direpti cæderentur, & in multis locis incendia ſævirent, Decuriones omnes partìm capti,

partim cæsi, aliqui benigniorẽ nacti hostem magnâ pecuniâ redempti. Raptæ cum Matronis Virgines, tandem cædib9 & incendijs ex edicto finis illatus est; Multæ ingenuæ mulieres viris redditæ, populus deniq; advectis commeatibus aliquantulum ex illatis calamitatibus respiravit. Urbs quãvis graviter esset afflicta, non extremo tamen absumpta est incendiô. Atila se per edictum excusavit, id se invito ac inscio factum libidinem tantæ multitudinis & cupiditatem haud quaquam facilè contineri posse.

Jam videant & agnoscant Christiani Populi, direptione Mediolani, quid juvit olim Antecessores nostros, Barbaris credidisse? & cùm eadem nunc Orbi redeat fabula, sub alijs tantũmodò nominibus, alijsq; personis: discant serò nimis sapere, ac ruenti nunc Mahometo, trium Orbis partium Tyranno, fortiter & unanimes resistere. Illi inquam Tyranno, cui ferocissimi mortalium Scythæ famulantur, Bactriani & Parthi, Persarum quondam Victores: à quo florentissima, fœdum in modum, conniventibus Christianis Principibus, direpta est Græcia, Macedonia, Illyricum, Dalmatia, Croatia, Sclavonia, Albania, Moldavia, Valachia, Servia, Bulgaria, Rhodus, Cyprus, utraq; Arabia, Armenia, Syria, Ægyptus, novissimè Hungaria cum Transylvania, uno verbo Asia & Africa occupata, Europa pessundata: & hi o-

mnes

fines antea liberi & Christiani populi, Duce Mahometo inviti jam contra Christianum armantur nomen. Quanta Regum Populorũq; in nomen Christianum conspiratio? quantum fœdus, & quanta Deus bone conjuratio? in qua omnibus lubet quod uni lubet; eoq; æterna armorum & animorũ societas creditur esse. Quæ longè differt à nostrorum Principum Christianorum fœdere, in quo nationũ, ingeniorũq; tanta dissimilitudo, & (si cætera desint) propria cujusq; utilitas dissensionem, mox & dissolutionem societatis adferre videatur. Gallia remotam se à periculis Turcici belli jactitat, hinc nihil minùs cogitat, quàm de bello Turcis inferendo: ignara, Turcas occupatâ Germaniâ, immani feritate brevi Luteciam invisuros, exẽplo Atilæ, quem paulò ante debellatâ Moravia, subactâ Germaniâ, occupatâ Constantiâ, eversa Argentinâ, Galliam invasisse, pessundasse, ac evertisse meminimus. Non enim tunc cum solis Turcis, sed cum Oriente, & occupato magna ex parte Occidente, bellandũ esset Christianissimis Regibus. Qantùm enim Principib9 nostris decedit virium & potentiæ, tantùm accedit barbaro huic hosti. Qui ab extrema Arabia prodire ausus, jam in extrema Europæ parte victoriarum suarum trophæa, per summam Christianorum Principum ignaviam, nemine penitus contradicente, glo-

 riosus

riosus explicat. Lego in Chronica Poloniæ Pauli Piasecij, circa Annum 1595. actum fuisse cum Polona Republica, mediante Summo Pontifice Clemente VIII. de societate belli contra Turcas, sed irrito conatu. Referam genuinis verbis Historici, rem prout tunc agebatur.

In Polonia, à die 6. Febr: Cracoviæ Comitia Generalia Regni celebrabantur, illo præcipuè fine, ut Ordines Summo Pontifici Romano, & omnibus Christianis Principibus, ad societatem belli contra Turcas ipsos invitātibus, satisfacerent. Tardius autem ad ea Legati Cæsaris, Episcopus Olomuc: & Venceslaus à Bercha, venerant: unde incœpto tractatu de modis ineundæ societatis hujusmodi cùm Poloni certam pacem cum Turca ab annis 70. integrè servatam, non tam facilè disrumpendam vellent, nisi firmioribus præsidijs, belli suscipiendi rationes stabilirentur, & Legati Cæsaris, ad hoc mandata minus sufficientia producerēt: pleniora verò in tā arcto tēpore à Cæsare habere nō possēt, negotium illud fuit rejectum ad Conventum Varsaviēsem proximum, pro hoc ipso tractando extra Ordinem indictum. Collectæ tamen Agrariæ, ad omnē casum excipiendi belli Turcici, ab omnibus Ordinibus fuerunt concessæ. Iterùm subsequenti Anno, videlicet 1596.

Major autem cura hoc anno, non singula tantùm Regna, sed universam Christianitatem distinebat; quomodò communē hostem Turcam, acceptas proximo anno clades resarcire contendentem, reprimerent. Et cùm alij omnes Christiani Principes, singuli domesticis implicit difficultatibus, nihil auxilij ad illud bellum conferre vellent, solos Poloros, qui tunc tranquilla undequaque pace florebant, Summus Pontifex, utiliorem tantæ rei operā impendere posse sperabat. Eò itq; omnia sua consilia converterat, ut istos in societatem belli illius cum Imperatore colligaret: misso Legato suo à latere Henrico Cardinali Cajetano in Poloniam; ubi tunc tali fine, Comitia Generalia Varsaviæ Mense

Mense Aprili celebrabantur. *Miserat eò & Imperator Rudolphus Legatos suos; quorum præcipuus, Ioannes Episcopus Vratislaviensis, magnificis perorationibus, & speciosis argumentis, persvadere admitebatur Polonis illam societatem. Sed eadem dubia, quæ in antecedentibus Comitijs illum tractatum interruperant, tunc quoque Poloni opponebant: nempe vinculum societatis cum Papa & Imperatore, firmum haberi non posse: cùm morte eorum facilè rumperetur, quò moles belli universi in Polonos solos recumberet. Sed si Ordines Germaniæ quoque ad eandem societatem accederent, & de manutenendis societatis conditionibus Polonis caverent, eam firmiori robore coire, atque consistere posse: ac tali demùm securitate, certā pacem cum Turca periculo belli socialis, Polonos pro bono Reipublicæ cõmutare non detractare. Nulla autem habebantur ad hoc mandata ab Ordinibus Germaniæ; & cùm Cardinalis Cajetanus pro illis fidejubere vellet, ac in se recipere præseferret, quòd inducturus esset Germaniæ Electores, ut pactis & fœderi, quod tunc stabilitum fuisset, illi quoque subscriberent, silentio fuit explossa illa præsumptio. Quisque enim prudẽtior facilè judicabat, Cardinalis authoritatem non eam fuisse, ut obtineret à Germanis Principibus, quod Imperator toties repetitis precibus emendicare nõ poterat. Requisierat Pontifex & Regem Hispaniæ, ut ipse Polonis, pro conditionibus istius societatis sese obligaret: sed & ille majores difficultates opposuit. Vnde cùm constitui non possent solida fundamenta, quibus societas talis subsisteret, tractatus illius tunc evanuit. Spontè tamen citrà obligationis debitũ Poloni promiserunt, quòd essent prohibituri transitũ Tartarorum in Hungariam, & quòd justum exercitum in confinijs tenerent, quò Turca suspicione ab ea parte periculi distineretur.*

Hæc summa redditi responsi Poloniæ Procerum: Christianorum Principum adversus Turcam jure meritò ridentium societatem. Certum enim est, nec historijs probari debet, toties incœptum fuisse fædus Christianorum, toties omissum. Quis occupatâ per Turcas Constantinopoli, non illicò Græciæ spo-

ciæ ſpopondiſſet ad futura Chriſtianorum auxilia? & tamen nunquam illa comparuerunt. Conſternati equidem ad momentum finitimorum animi erant, ſed haud multò poſt obliviſcebantur eorum, quæ paulò ante timebant. Solus Nicolaus Pontifex ſacroſanctæ militiæ ſaluberrimum promulgaverat tunc Edictum, multis quidem Germanis, paucis verò reliquis Europæis accurrentibus: quorum virtute, Capiſtrani ſanctitate, Corvini fortitudine, ſervata tunc fuit Alba. Cujus oppugnationẽ æternâ memoriâ dignam, Bonfini verbis hîc adnecto.

A Turcis interim Alba obſidetur, quod Idibus Juniis accidiſſe ferunt. Vrbs eſt in angulo ſita, ubi Danubio Savus illabitur: à Septemtrione Danubio, ab occaſu verò Savo abluitur. Arx monti præſidet, loco & arte munitiſſima: ad radices montis Civitas in amnis utriusq; ripas effunditur: craſſo muro confluentibusq; obfirmata: à continẽte duplici vallo, foſſâ, mænibusq; munitur. Mahumetes in duo caſtra exercitum dividit: altera præter Savum, quibus Baſſeus Aſiæ: altera præter Danubiũ, quibus ipſe præerat, ritè locat. In ſuis caſtris tormenta tunc bellica à fronte diſponit, locum vallo foſſaq; circumvenit, ne eruptionib⁹ hoſtium foret obnoxius. Reliquam multitudinem per campos effundit, quæ omnia complere videbatur. Quum à continente continuatis ferè caſtris Vrbem obſediſſet, nè quid efferri inferrique poſſent, Savum & Danubium claſſe compleverat. Cùm expugnatio Civitatis inſanam machinarum magnitudinẽ poſtularet, ac illæ ob itineris difficultatem facilè trahi non poſſent, hoc barbarus animus commento uſus eſt: machinas diffregit, antequam iter iniret, ut in levia fruſta redactæ, facilius per ardua loca veherentur: Mox ubi in Myſiam ſuperiorem ventum eſt, ad Chryſonicum, ſtatim è conflato ære inſtauravit:

quas

quas quum urbi propius admovisset, & munitionibus quibus opus erat obfirmâsset, mox oppugnationem adoritur; quatit die noctuque mænia, nihil oppidanis otij indulget. Corvinus & Capistranus Vrbem acerrimè dudum obsessam esse sentiunt, classem Hungaris Crucesignatisq; completã, secundo amne deducunt, ut Albanam Arcem aquâ terrâq; obsessam facto impetu ingrediantur. Quum appropinquavêre, Vrbem assiduò quati, Arcem jactis in altum lapidibus sublidi, Regionem sulphureo latè fumo caligantem, perpetuas servare tenebras conspicantur. Sociorum miseratione correpti, qui acerrimâ obsidione torquebantur, animos ingentes sanè concipiunt, & ad certamen irritantur. Trecenti è Polonis erant, qui religionis ardentissimæ gratiâ, sumptâ Crucis tesserâ, stipendia faciebant: item Germanorũ ingens numerus, qui sacram expeditionem ultrò susceperant, & certatim utrique obsessis accurrendum esse censebant. Tormentorũ crepitus æneorũ, ad Segedinum usq; exaudiebantur. Quare instructâ classe, terrestribusq; copijs in aciem eductis, secundo amne descendũt. Mahumetes his occurrere ausus, suam classem opponit, nè quid laboranti Civitati afferant subsidii. Collatis in Danubio signis, fluvialis pugna conseritur. Effertur immensus utrinque clamor, & crepitantium fragore tormentorum Danubius intonat, ac utriusque classis gravitate subgemit. Christiana in quadratum agmen effusa, ripam utramque legebat. In ripis quadrata cataphractorum equitũ agmina, utrumque classis cornu protegebant: in dextro Corvinus, Capistranus in lævo præsidêre. Hic à prora Crucifixum amplexus, ac supplex ad salutare prælium suos hortari, promittere Divinã opem, & prophanis hostibus maledicere. Corvinus acerrimè pugnare, ac exemplo suo, ad pugnã Hungaros incendere, jubere ut remis incumbant, & suffragante

Danu-

Danubio cominùs dimicent. Quod ubi factum eſt, mutuis navigia catenis utrique colligant. Corvinus in Prætoriam navem inſiliit, ſequuntur ſocij, enſem latè ducunt, Turcasq; ſaucios ſemineceſque in Danubium deturbant, idem reliqui faciunt. Fervens ubique colluctatio cernebatur, multi utrinque cadunt, & quum dirâ ſe omnes cæde competerent, cruore Danubium totum inficiunt. Quum ſecundi amnis ſubſidio noſtri niterentur, Turcarum claſſem inclinant, cæduntque. Illi obſtanti fluvio cedere coacti proras avertunt; multa inter fugiendum intercepta navigia, undisq; demerſa, cæteri ad ſuorum præſidia confugêre. Corvinus fusâ fugatâq; claſſe, quum Albæ appropinquaſſet, eam reſerat, Vrbemq; ingreditur, quam armis, milite, commeatibusq; complet; ſaucios, ægrosq; oppidanos educit; Arci ſupplementũ ſuggerit validiſſimum: obſeſſorum animos recenti victoriâ inſtaurat, & ad propugnandam Civitatem unâ cum Capiſtrano Viro ſanctiſſimo omnes hortatur. Mahumetes ad nuntium profligatæ claſſis, quamvis gravius (inquit) noſtro tamen voto omninò potiemur. Quod è claſſe ſuperfuit, incendi juſſit, atque obſtinatiſſimum ad oppugnandam Vrbem animũ intendit. Quum paterni ſibi amici retuliſſent: Amurathem olim ſeptem in Albana obſidione menſes triviſſe, ac irrito tandem conatu abiviſſe: multis paternos manes probris affecit, & ante quintumdecimum ſe diem Vrbe potiturum gloriatus eſt. Baſſeus fortè aderat Aſiaticus, hic ut glorioſo Principi magis aſſentaretur, certam imminere victoriã pollicetur, quando Byzantium ipſe vi cæperit, veteri arte ac munitione quaqua maximâ præditum: neque ab Hungaris validius muniri, magisq; ſtrenuè protegi, quàm à Græcis oppida ſoleant: quibus non immeritò non ſolùm eloquij, ſapientiæq;, verùm etiam diſciplinæ militaris gloria ſuo jure tribuitur.

buitur. Præterea multæ dirutæ turres, completæ fossæ, & jam æquata solô mænia forent: proinde haudquaquam diffidendum esse affirmabat. Mahumetes his verbis accensus, in sequenti die omnes arma sumere jubet, ac veluti decreverat, nunquam etiam cessare constituit, donec Albâ potiatur. In tot Ordines digerit exercitum, ut perpetuū prælium continuare, & ita fessas subinde acies instaurare possit, uti nullâ quiete datâ oppidani deficere cogerentur. Sacer Divo Sixto erat ille dies, octavo Idus Augusti, quo deturbatis dudum propugnaculis, ruderibus cōpletâ fossâ, & obtutis patentibusq; mænibus, hostes in occasu solis, Vrbem adoriūtur. Obstant oppidani, & quum completos innumerâ multitudine campos ab arce prospectarent, constrataq; latè mænia cernerēt, salutem desperare cogebantur. Nulla major spes & consolatio succurrebat, quàm desperatâ corporum salute pulcherrimè mori. Joannes cum Divi Francisci Collegio, Crucigeros ad salutarem pugnā hortatur, & Servatoris nostri Crucem amplexatus, ac suplex, Dei præsentiam opemque pollicetur. Illi appetere magis, quàm formidare gloriosam mortem visi, ad pugnāq; promptissimi Turcis occurrunt. Vnum his oberat, quòd animo potiùs quàm corpore armati erant: Gladijs tantùm & lanceis obnitebantur, pauci se galeâ & thorace protexerant. Dira nimis & cruenta suprà murorum ruinam pugna conseritur, summâ vi utrinq; pugnatur. Hostilis clamor, tympana, classicaq; Cœlum sonitu & fragore complebant. Rudera magnâ cæde fædantur, quando illi vi ingredi, reiicere isti conniţuntur. Corvinus ubicunque laboraretur, accurrens nunc verbis nunc factis omnib[9] opem suggerit: timidis & ignavis inclamitat corripitque, strenuos extollit: fortissimos quosq; comendat & hortatur, ut Vrbem hanc Christianæ Reipublicæ propugnaculum fortissimè tue-

 antur:

antur: ſciant ſibi cum his rem eſſe, quos toties olim profligarint, vicerint, & ad internecionē ſæpè ceciderint; & in Danubio tot ſuperiore pugnâ cōfecerint: non deeſſe Divinum auxilium, JESV Chriſti præſentiam, ſub cujus nomine, ductu, auſpicijsque dimicatur. Mox cum globo veteranorum inſtructus, uſquequaque diſcurſare, inſtaurare Ordines, pro feſſis validos, vivos pro mortuis, pro ſauciis integros, pro inermis armatos, veluti opus erat, ſufficere: quandoque ubi plurimùm laborari ſentiebat ſuccurrere, inter confertiſſimos ſeſe hoſtes inſerere, ingreſſos reiicere hoſtes, & Imperatoris militisque optimi officium præſtare. Contrà Mahumetes à tergo ſuis inſtare, grandia militibus præmia polliceri, retrocedentes revocare in ordinem, & quandoq; falcato enſe cædere, orare ut ſtrenuè pugnent. Exclamans eam jam Vrbem captum iri, & ſuos intrà penetrâſſe: proinde ut facto magno agmine progrederentur, hortari. Variante diu fortunâ pugnatum eſt, quando Turcæ ſæpè in Vrbem penetrârunt, & à Chriſtianis non ſine magna utrinque cæde rejecti, ſupra cadavera, murorumq; ruinas, diu nutante ancipitique victoriâ dimicatum. Ex hinc veluti ſpes utrinque ſurgebat, ita extremis indefeſſisq; viribus pugnabatur. Sæpe Turcæ cum maximo impetu in Vrbem irruperant: ſæpe etiam rejecti, arridente ſubinde Marte, inſtaurato cuneo, amiſſam obſtinatiſſimè victoriam repetebant. Itaq; cùm pari ſpe utrinque pugnaretur, Mahumetes præſentaneum conſiliū init, quàm validiſſimo poteſt agmine in Vrbem irrumpere, pertinaciſſimèque tenere. Quod ſi nequeat, hinc rejectum, fugam ſimulare, quâ oppidanos allectos in campos educat, mox irrumpere à tergo dimiſsâ equitum multitudine reditum intercipiat, uti à tergo & fronte, Chriſtiana gens juxta cœdatur; quare validiſſimum agmen inſtaurat. Superatâ mortuorum

ſtrue,

ſtrue, quæ in ruinis excreverat, in Civitatem inclinatis oppidanis irrumpit. Penetrat in forum, & in medio foro prælium redintegratur. E Turcis plerique in forum ſigna inferunt, altis nonnulli turribus vexilla Regis deponere conantur, quæ adhuc in mænibus integrè ſuperfuerant: ſubeuntem cum vexillo Turcam memorant, qui ut ſigna ſui Regis, ad irritandos in Vrbem ſociorum animos, qui nondum intrò penetrarant, pinnaculo turris imponeret, & ad exanimãdos Chriſtianos Vngarica deturbaret, turrim altiſſimã repentè ſubit. Hunc Vngarus illicò ſubſequitur, ac antequam patria ſigna deponeret, cum hoſtẽ in turris faſtigio colluctatur. Quum alio modo id prohibere non poſſet, ſe cum Turca quem apprehenſarat, ex altiſſimo vertice præcipitem dedit. Corvinus in ſummum periculum adductam Vrbem conſpicatus, accito Michaële Zilagio Avunculo ſuo, & Ladislao Caniſa, item Sebaſtiano Roſgonio, cæterisque fortiſſimis Proceribus Vngarorũ, ab Arce ruens, in forũ Turcas inclinat. Hi tanto furore congrediuntur, ut multis in platea viciſque cæſis, extra mænia extemplò hoſtes rejecerint. Cruciger Divinâ ſe ope adjutos rati, adauctis animis extra mænia prodeunt, & in hoſtes ſævâ cæde graſſantur. Mahumetes ubi ſe iterùm iterùmq; rejectum eſſe cernit, extemplò fugam ſimulat, & planè terga vertit, ac eos educit. Inſtant à tergo Cruciger, & arridente victoriâ pellecti, pertinaciter inſequuntur. Jamq; ad Baſſei Aſiaticj caſtra pervenerant, quæ in Savi ripa collocarat: Capiſtranus proſpectis ab Arce Mahumetis inſidijs, confeſtim ſuos revocat ut retrò cedant. Quum præ ſtrepitu & tumultu magno exaudiri non poſſet, à tergo receptui ſigna dat: contrà illi victoriæ intenti nihil exaudiunt, hoſtilia caſtra adoriuntur & incendunt. Pater cum Sacerdotum collegio, illuc per medios enſes ab arce decurrit, revo-

catque. Mahumetes qui ad machinarum bellicarum munitiones confugerat, quum Bassei castra cremari diripiq; respiceret, cum equitatu, quem à tergo reliquerat, ut reditum oppidanis obstrueret, eò succurrere contendit. Ad hæc jam dies inclinabat. Corvinus desertas à Mahumete munitiones, & bellica tormenta conspicatus, cum sociis ex Vrbe prorumpens, repentè capit: machinas æneas adacto mox clavo, partim obstruit, inutilesq; reddit, partim in hostes convertit, intenditque. Turca rejectis è castris Crucigeris, qui à Capistrano revocati facilè cesserant, ad munitiones redit: eas à Corvino occupatas comperit. Quum instanti crepusculo, recuperandi gratiâ prælium instauraret, obversas in se machinas invenit, à quibus cùm gravissimè socij læderentur, ingruente nocte, se in posteriora castra, non sine fæda fuga recepit. Alij pectore saucium sub papilla, in castra pedem retulisse memorant. Corvinus munitionibus potitus eas incendit. Quum imminente nocte, machinas æneas exportare non posset, occlusis foraminibus irritas præstitit, victorque ac ovans in Vrbem redijt. Turca, ut se ab Vrbe sæpe rejectum, & Asiaticis castris ac munitionibus exutum conspicatur, intempestâ nocte versus Macedoniam iter intẽdit. Referunt nõnulli, eum sagittâ saucium semineceq;, in castra relatum aliquantisper jacuisse. Turcas ad Sarnon oppidum motis hinc castris Imperatorem transtulisse; Veritos, nè intercedente ipsius morte, postero die ad internecionem cæderentur. Ad Sarnum, quum ille aliquantulum respirâsset, de belli exitu fuisse percontatum; quum illi respondissent, Basseum Asiaticum, & cunctos ferè Proceres oppetiisse, magnam partem exercitûs esse cæsam, Kurkutoam Prætorianarum cohortium Præfectum, sub mænibus fuisse trucidatum: item munitiones omnes ab hoste captas. Ad hæc, hominem

(aju-

(ajunt) uſque adeò ingemuiſſe, ut venenum præ vitæ moleſtiâ propinari ſibi juſſerit: quod quum amici recuſarent, timidum & demiſſum, incenſis caſtris turpem arripuiſſe fugam: neque tam elatum animo veniſſe, quàm conſternatus abijt: & qui ſe Terrorem Orbis edixerat appellari, à parva manu fuſum fugatumq; fuiſſe. Baſſeum Aſiæ, cui Caraciæ nomen erat, ad munitiones, paucis ante dieb⁹ ad Vrbem ictum obijſſe plerique ferunt. Sexto igitur & quadrageſimo obſidionis die, Divinâ potiùs, quàm humanâ ope, Vrbs Albana, Turcarũ manibus liberata. Quanquam multi utrinque cecidiſſent, plurimi tamen è Turcis occubuêre: multi quadraginta hoſtium millia periiſſe prodidêre: viginti millia nonnulli: nec deſunt, qui quatuor tantùm millia fuiſſe affirmant. Sed quanta clades illa fuerit, potentiſſimi Regis fuga teſtatur. Turcæ quoq; ingentem & incredibilem fuiſſe minimè diffitentur: quin & Deorum ex ſe plures, quàm Chriſtianorum manu, eo die cæſos fuiſſe aſſeverant: quia multa mortuorum corpora, ſine vulnere comperta fuêre, quæ Divinâ potiùs quàm humanâ vi cecidiſſe reputabantur.

Hinc cognoſcant Chriſtiani Principes, rem nobis nunc eſſe, non cum imbelli aliquo hoſte, ſed cum Regnorum, Provinciarum, fortiſſimarumq; Urbiũ Victore, triumphatore Turca: qui quinquageſimo obſidionis die, Conſtantinopoli (terrâ & mari Victor) potitus eſt: illo inquam Turca, cui fortiſſima, liberrima, ac nullius unquam jugum ferre ſolita ad extremum ceſſit Pannonia: tot invicti, ab eodẽ proſtrati ac debellati Heroës, Cæſares, Reges, Principes, Duces. quorum ſanctiſſimi manes, ultricẽ aliquando Prin-

do Principum Christianorum exposcunt dexteram. Arma Viri, ferte arma Vivi, cùm vinci posse Christianos Principes & Populos tot jam Barbari ostenderint. Post Herulos, Gotthos & Hunnos, Otthomanidas timeat Roma: post Odoacrem Theodoricum, & Atilam (fatale aliàs Europæ nomen) nūc regnantem Mahometem formidet Europa; & inprimis Germania eheu nimium vicina Hungariæ: timendus ille non esset, si Principes Imperij concordes ac unanimes essent, & arma omnes tandem uno nutu, uno voto, uno fine arriperent; Orbis commune negotium acturi. Ita enim fieret, ut inito cum vicinis Regibus stabili fœdere, liberarent Tyrannide mundum, superstitione Ecclesiam, infamiâ sæculum. Romani enim Imperij est, exequi quod in salutem humani generis DEUS Opt: Maximus ordinavit. Cadet Babylon, cadet Babylon, si tam fortiter aggrediemur immanem hanc Belluam, quàm feliciter ille nos proterit: bello enim & Marte non Legationibus, aut muneribus res peragenda est: cùm indignum sit Christiano nomine Infidelium bella potiùs redimi, quàm perfici, hostemque precio non armis submoveri. Nec tractatibus aut fœderibus fidendum: omnia enim fœdera Turca ac Tartarus utilitati propriæ accomodat, contagiosis velut Basilisci oculis Christianorū uterq;

obser-

ſervans commoda, tàm benè everſurus Orbem, quàm olim Atila. Cujus exemplo & hiſtoriâ admoniti Principes diſcant:

Barbaris nullo unquam tempore fidem ſervandam eſſe.

F I N I S.

J. R.